

Perscrutanti Hirtii verba quae leguntur in Caes. b. gall. VIII praefatione 'Caesaris nostri commentarios rerum gestarum Galliae non cohaerentibus superioribus atque insequentibus eius scriptis contexui novissimumque imperfectum ab rebus gestis Alexandriae confeci usque ad exitum non quidem civilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitae Caesaris' iisque fidem habere non dubitanti ultro Aulus legatus se offert auctorem corporis pseudo-caesariani. Ac de bello gall. VIII illud pro certo ponendum puto, quae res ita mihi videtur dilucida, ut valde mirer, cur nonnulli interdum eam refutare conati sint philologi. Sed te quoque assensurum spero Nipperdeio quaestione in omnes latebras exquisita dicenti commentarium non esse Hirtii nihil se videre, quo probari possit, esse et inscriptiones codicum confirmare et Suetonii testimonium: 'Hirtium qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit'. Ad hoc Nipperdei fulciendum ne similitudo quidem illa generis dicendi negligenda videtur, quae est commentario cum Hirtii epistula ad Balbum data nostroque libro praefationis loco praemissa. Quae epistula procul dubio est genuina, cum et a Suetonio tribuatur Hirtio et quae de auctore refert, optime Aulo omnia conveniant, nec ullum video, qui vana quadam adductus opinione in suspicionem eam vocaverit. Iam alia quoque Hirtii epistula, quam invenias apud Ciceronem ad Attic. XV, 6, quamvis perbrevis sit, nonnullas habet similitudines consuetudinis dicendi¹⁾. Quae omnia nobis persuadent, ut Hirtium libri auctorem dicamus, iniquitates vero dicendi, si quae insunt, Hirtii illi mediocritati non nimis exercitati scriptoris concedendas satis apparet, nec has illasve libelli partes esse spurias inde concludere licet, id quod venit in mentem Landgrafio. Difficilem ac malam pravamque viam is intravit, cum librum a Pollione retractatum et exaratum contendat. Nam et quae petit L. argumenta, minime incorrupta atque integra sunt, et ratio ipsa demonstrandi est absurda. Primum enim ita favet Pollioni suo, ut quaecunque ab Hirtii dictione aliena videntur, ad Pollionem referre non dubitet, etiamsi ea in Pollionis genuinis non inveniantur. Sic haec, quae in corpore Caesariano sunt ἀπαξ λεγόμενα: 'mortifer' b. gall. VIII, 23, 6; 'hibernare' 48, 1; 'adiungere ad' 48, 2; 'lancea' 48, 5 et in reliquis: 'tractus' (= regio) b. civ. III, 112, 8; 'suggerere', 'infestare' Al. 3, 1; 'liquescere', 'limosus' ib. 5, 1 etc. — Deinde illos inanes flosculos, quos hinc

¹⁾ De his cf. Landgraf, Untersuchungen zu Cäsar und seinen Fortsetzern. Erlangen 1888, p. 64/65.

illincve carpit et colligit, quis respiciat et graves habeat, quales sunt: 'venisse cum copiis' vel 'inceptum opus'? Quae ut apud Pollionem legis, nonne semel atque iterum in ceteris scriptoribus Romanis invenisti? Quae vero primo obtutu maiorem vim habere videntur, ea me omnia hoc loco sub examen vocaturum te non sperare puto: multi multis locis ea refutaverunt. Tamen ad illustranda Landgrafii argumenta et rationes hoc addam, unde si iuvat quid de reliquis cogitandum sit recte concludas! Itaque quod legimus b. gall. VIII, 23, 4: 'nam superiore anno T. Labienus Caesare in Gallia citeriore ius dicente', L. respicit b. gall. VIII, 54, 3: 'quam (legionem) in Gallia citeriore habuerat', et quod hoc loco plusquamperfectum pro imperfecto ponitur, Pollionis manum deprehendi posse sibi persuasit. Inde audacter concludit eiusdem esse illud 'Gallia citerior', cum Hirtius dicere soleat 'Gallia togata' (VIII, 24, 3. 52, 1. 2) et ob hanc causam nostrum quoque locum VIII, 23, 4 Pollioni vindicat. Sed oppono Landgrafio haec: aliquam probandi vim in eis tantum inesse locutionibus apparet, quae solum occurrant in corpore Caesariano et apud Asinium neque ab aliis eius aetatis scriptoribus adhibeantur. Nam quae ex linguae communis usu sunt vel inveniuntur apud alios scriptores, quorum sermo non pendet ex Asinii genere dicendi (ut Livius et Velleius), his omnino nihil probari posse patet. Itaque non video cur plusquamperfectum pro imperfecto ab Asinio, non ab Hirtio positum esse dicamus. Nam Caesar quoque, nisi omnia me fallunt, plusquamperfectum pro imperfecto nonnullis locis usurpat (gall. II, 6, 4. civ. II, 27, 2. cf. Al. 10, 4. 57, 1), Sallustius non minus (cf. ed. Kritz ad Jugurth. p. 227). Quid? Quod apud Ciceronem invenis in Verrin II, 29, 72: 'pervellem adessent ii, qui affuerant antea' et de orat. II, 7, 28: 'praecisa mihi dubitatio est, quoniam neque domi imperaram, et hic, apud quem eram futurus, tam facile promisit?' Ex vulgari sermone ascitum hoc Vitruvius ostendit, qui usque ad taedium id posuit, ubi accurata oratio perfectum aut imperfectum requirebat. Itaque si Caesar, Cicero, Sallustius illa ut ita dicam negligentia dicendi non abstinuerunt, num parum credibile est, Hirtium quoque eam adhibuisse, eum qui 'in scribendo non admodum exercitatus' facilitate et elegantia Caesaris aliorumque valde obrueretur? Itaque non est, cur id Pollionis putandum sit. — Deinde iis, qui Landgrafii partes sequuntur, procul dubio a Caesare quoque b. gall. VI, 2, ubi habes 'Gallia cisalpina', abiudicandum esse moneo, quippe qui aliis omnibus locis dicat 'Gallia citerior'; hoc vero nemo probat. Ne Cicero quidem illam, quam ab Hirtio in hoc flagitat L., servat constantiam dicendi, qui ubique sui similis illud 'Gallia citerior', uno loco — dico de Phil. VIII, 9 —, quem nemo adhuc subditivum putavit, hoc 'Gallia togata' adhibeat.

Unde iam satis aperte te intellegere puto Landgrafii argumenta non eam vim atque auctoritatem habere, quibus certa fides adiungi possit. Sed ut omittam reliqua, quae omnia vana sunt, alio properare cogor.

Itaque ut b. gall. VIII ab ovo usque ad mala Hirtii esse contendo, ita ab eodem belli civ. III, 108—112 capp. conscripta esse nego. Nam Dinterus quamquam in his capitibus nonnulla inveniri quae a Caesaris dictione abhorreant¹⁾, recte demonstravit²⁾, tamen in eo, quod Hirtium putat auctorem, vehementer erravit, id quod pluribus exposuit Schillerus³⁾, quem in omnibus sequor. Quod vero Dinterus alique parum credibile putant

¹⁾ Quomodo haec res sit explicanda, paulo infra disserui pg. 14. — ²⁾ Progr. Grimma 1876 pg. 32—36. — ³⁾ Bl. f. d. bayr. Gymn.-W. 1880 pg. 396—399.


illa verba in cap. 108 in.: 'erat in procuratione regni propter aetatem pueri nutricius eius, eunuchus nomine Pothinus' a Caesare esse conscripta, cum is de iisdem rebus iam in capp. 103—104 egisset, de hoc paucis disputare libet. Ante omnia illos effugisse connexum rerum (cap. 108 in.) nihil habere offensionis recte docet Zingerlius¹⁾. Attamen equidem negare non possum mihi quoque quodammodo suspectum esse illud enuntiatum 'erat in procuratione...' Nam licet Caesar ut Pothinum in luce quadam collocaret, iisdem ferme verbis, quibus in cap. 104 usus sit, tamen Zingerlius mihi non satis probat, cur iterum illud 'propter aetatem pueri' adiectum sit, quod quidem supervacaneum esse nemo non videt. Itaque non dubito quin librariorum errore et incuria locus corruptus sit, iamque quaeritur, qua ratione sanari posse mihi videatur. Quamquam nullius codicis testimonio adiuvor, tamen verba ita immuto, ut scribam: 'erat in procuratione regni pueri nutricius, eunuchus nomine P.' Inde autem corruptela huius loci originem traxisse putanda est, quod librarius pronomen 'eius' falso post 'nutricius' addidit. Quod quam facile fieri potuerit, latius explicari vix opus esse videtur; nam antecedente substantivo 'nutricius' non mirum, quod per dittographiam interpositum sit illud 'eius' post '— cius' syllabam. Ita illi duo genetivi (pueri, eius) quomodo inter se cohaerent, postea non iam intellegebatur, quam ob rem altera manus ex capite 104 inferret illud 'propter aetatem' ante genetivum 'pueri'. Vides igitur hoc quoque loco valere verba Krafferti dicentis commentarium de b. civ. multis glossematis et interpolationibus esse foedatum²⁾. Itaque si quid veri est in iis quae protuli, re vera locum ita mea correctura expeditum puto, ut nihil reliquum sit offensionis. Sic autem interpretor: „Nun gehörte zu den Verwaltern des Reichs (de quibus actum est cap. 104 in.) der Eunuch P., der Erzieher des Knaben“. Caesar enim cum paulo ante de universis procuratoribus rettulerit, iam in cap. 108 de uno ex iis, Pothino quodam, complura proditurus est.

Sed quoniam a proposito nescio quo pacto delapsa est oratio mea, hoc loco Landgrafii de origine belli civ. opinionem paucis examinare iuvat, qui ut a Caesare abiudicat illa capp. III, 108—112, ita non Hirtio, sed Pollioni tribuit. Sed quam perversis argumentis! Itaque quae nec Zingerlius nec alii, qui Landgrafo obstant, respexerunt, ea recensere et reicere animus fert, ut illius sententiam labefactem magis magisque et 'ad absurdum' ducam.

Itaque quis cum Landgrafio contenderit illud simplex 'fidens' (III, 111, 1) non esse Caesaris, esse Pollionis? Omitto quae ad hoc recte affert Zingerlius³⁾, satis est haec addere: Statuamus paulisper cum L. Asinium simplicia ita adamasse, ut sicut 'signare' pro 'obsignare', ita 'fidere' pro 'confidere' poneret! Sed qui fit, ut nusquam in Pollionis scriptis legamus illud simplex 'fidere', contra sexies in b. Afr. (quod Pollionis opus esse L. docet!) compositum 'confidere'? (cf. Preuss. lex. pg. 255). Porro L. ex eo, quod capp. 108—112 a Pollione exarata sint, satis explicari putat eandem rem non eadem voce significari, dico de: 'curatio' cap. 104; contra: 'procuratio' cap. 108 et 'procurator' cap. 112. Sed vehementer ille errat, quod manifestum est etiam in cap. 104 legendum esse: 'in procuratione', sicut plerique codices exhibent, de quibus pauca commemorari oportet. Kueblerus singulari ingenii acumine demonstravit (ed. Caes. praef.), quo modo

¹⁾ Wiener Studien 1892 pg. 88. — ²⁾ Beiträge zur Kritik a. Erkl. lat. Autoren. II. Gymn.-Pr. Ayrich 1882. — ³⁾ l. l. pg. 97.

qui principem locum tenent codices inter se cognati sint et stemma addidit, ex quo propono haec:



Codices Graecis litteris significati perierunt, quam ob rem respiciendi sunt hi sex:

1) S = Ashburnhamianus sive Laurentianus, qui quando scriptus sit, non satis constat, tamen a Woelfflino aliisque saeculo X/XI tribuitur. ('omnium, quotquot supersunt longe antiquissimus'. Woelfflin.)

2) W = Mediceus-Laurentianus. saec. XI/XII.

3) F = Riccardianus. saec. XI/XII.

4) U = Vaticanus. saec. XII.

5) T = Parisinus. saec. XI.

6) V = Vindobonensis. saec. XII/XIII.

Nullum eorum ex ipso archetypo β directo fluxisse, sed per canalem quendam derivatum esse cognoscis, tamen SWFUV praebeant in cap. 104 'procurazione', unus T, quamquam ex eodem fonte ac V manavit: 'curatione'. Quae cum ita sint, inter viros doctos vix latius explicandum puto, lectionem archetypi deperditi fuisse: 'procurazione', illud autem simplex codicis T ex errore librarii natum esse.

Denique etsi in enuntiato cap. 110, 1: 'erant cum Achilla copiae, ut... viderentur' illud ut consecutivum admodum dure esse dictum Landgrafio concedo, tamen cur tandem ea constructio Pollioni vindicanda est? Nam alter locus Caesarianus exstat, ubi idem habes: 'genus erat pugnae, ut' (b. civ. I, 44, 1), et Cicero quoque ea dictione utitur: 'cultus deorum est optimus, ut eos semper pura... mente veneremur' (de nat. deor. 2, 28). Ac Zingerlius ut Pollionem refutat, ita nostro loco Caesaris neglegentiam („eine stilistische Unebenheit“) cognoscere vult. Mihi quidem Ciceronem respicienti 'neglegentia' vix statui posse videtur, sed haud scio an hoc loco cum Paulo et Schneidero potius scribendum sit: 'erat cum Achilla eae copiae, ut...' Nam cum plerique excellentes codices (S. W. U. T. V) praebeant lectionem: 'erant cum Achillae copiae...', contra unus F: 'cum Achilla', in voce 'Achillae' inesse videtur pronomen 'eae', quod desideratur, et restituendum est: 'cum Achilla eae copiae...'.

Quibus paucis exemplis perlustratis fieri non potest, quin dicamus b. civ. III capp. 108—112 a Pollione non modo non conscripta esse, sed ne retractata quidem. Certe haec quoque capita Caesari vindicanda sunt, si quidem de b. civ. libros re vera Caesaris esse pro certo ponitur. Quod fusius hoc loco demonstrare et tempus et propositum vetant, sed futuri laboris id praebet materiam satis amplam!

Sed ut revertar, unde profectus sum, sicut praefatione illa Hirtii ipse coarguitur auctor libri VIII de b. gall., ita verba, quae codices illo loco exhibent, a multis in

dubium vocata sunt, dico de: 'Caesaris nostri commentarios rerum gestarum Galliae non comparentibus (comparantibus) superioribus atque insequentibus eius scriptis contexui'. Sed Hirschfeldius¹⁾ magna vi et scientia omnes codicum emendationes supervacaneas et prorsus reiciendas esse demonstravit, unam Schneideri 'cohaerentibus' pro falso illo codicum 'comparantibus' vel 'comparentibus' laudavit, quae coniectura iam antea omnibus fere criticis tam probabilis visa est, ut in textum reciperetur. Attamen nuper Schillerus²⁾ locum aliter sanare conatus est, sed quantum in me est iudicii, minus feliciter. Is igitur caliginem, qua offusa est narratiuncula, ab Schneidero disici non dubitat, tamen illud 'conhaerentibus' longius abesse a codicum scriptura arbitratus proponit 'competentibus', nititur autem Orosii loco 6, 7 in., ubi legis: 'cuius nos competentes portiunculas decerpimus'. Ego vero hoc vocabulum duabus de causis non probo: neque assequor, cur id lectioni codicum similior sit quam Schneideri 'co(n)haerentibus', neque ab Orosii abditis latebris medelam petendam puto, cum usitatissimum verbum 'cohaerere' exstet. Idem Schillerus cupiditate quadam novandi adductus mihi videtur, ut totum enuntiatum primum praefationis corruptum et lacunosum diceret. Is igitur cum quaerat quid Hirtius scripserit quidque per se rectum sit, gravissimum loci vulnus se detexisse putat in eo, quod verbum contexere coniunctum sit cum uno accusativo casu, quamquam scriptores Romani dicere consueverint 'contexere rem rei'. Propterea codicum scripturam ita mutat, ut scribat: 'Caesaris nostri commentariis . . . contexui octavum', cuius antiquae scripturae vestigia servata ei videntur syllaba extrema vocis contexui (- ui = VI) et prima littera sequentis vocabuli 'novissimum' (n = II), quibus componatur et restituatur facile accusativus 'octavum' (= VIII), qui desideretur; quo librarii cuiuslibet errore et incuria scribendi intercepto casum dativum 'commentariis' posterioribus temporibus mutatum esse in 'commentarios'. Sed ut ingeniose Schillerus restituit 'octavum', ita non tantum inutilem, sed etiam abhorrentem a communi consuetudine aetatis Ciceronianae equidem existimo coniecturam. Nam Cicero et adhibet constructionem 'contexere rem' duobus locis, quorum alter est pro Caelio 18: 'ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret', alter de legg. I, 3, 9: 'ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus sum, si traducor alio, neque tam facile interrupta contexo quam absolvo instituta', simulque quo sensu sit ita dicendum prodit. Utroque enim loco agitur de imperfecto et interrupto quodam, quod longius producendum erat, aequae atque in Hirtii praefatione; contra ubi non adest sententia interrupti, Cicero construit 'contexere cum re', et posteriores demum, velut Seneca et Plinius: 'contexere rem rei'.

Multo maiori offensioni sunt philologis verba sequentia praefationis: 'novissimumque imperfectum (sc. commentarium) ab rebus gestis Alexandriae confeci', non ita, ut ea interpolatoris temeritate corrupta opinentur adeoque adulterata, ut fraudem ne agnoscere quidem liceat, sed potius, ut quid Hirtius illis significaverit frustra quaerentes in vanas stultasque opiniones inciderint. Sed si nullo praecudio tantae rei allato praepediti verba Hirtii interpretanda aggressi sumus, mirum profecto, quod tot laboris susceptum esse totque sudoris manasse viris doctis. Itaque ut inde oratio mea exeat, quod gravissimum est, primum est disputandum de voce 'confeci', quam nisi in Hirtii praefatione legeret, nemo est cui in mentem modo veniret aliter intellegere atque intellegenda est. Verum

¹⁾ Herm. 24, 101. — ²⁾ Zu Hirtius' praefatio. Philolog. 1895 pg. 191.

quod quaestione Hirtiana perdifficili et lubrica animi sunt perturbati, errore vanis concitato imaginibus illud 'confeci' in suam quisque sententiam interpretati sunt. Ac primus est Nipperdeius qui ut commentarios de b. Afr. et Hisp., quia nulla omnino his similitudo cum Hirtianis libris intercedat, non solum non ab Hirtio, sed ne ab eodem quidem auctore scriptos esse recte iudicat, ita utrumque librum ab aliis Hirtium sibi faciendum curasse vult, unde ipse res gestas in suis commentariis peteret componendis, morte autem esse oppressum, priusquam id perageret. Sane acute id excogitatum est, sed subito ei occurrit quaestio, quid sit faciendum illi perfecto 'confeci', iamque ne obruatur hypothesis, impedimentum ex improvise illatum superare cogitur. Quod quam facile sit accipe: 'Hirtius, inquit, cum certo speraret se commentarios Caesaris usque ad mortem eius confecturum esse, de iis libris, quos scribere volebat, tamquam de perfectis dixit, idque quominus faceret, nihil impendebat, si quidem nisi una cum iis ne praefationem quidem editurus erat'. Ita puto: Sicut magis naturae convenire videtur prooemium conscribendum nisi opere iam confecto non aggredi auctorem quemlibet¹⁾, ita Hirtii praefatio, si quidem ante libros ipsos eam scriptam putamus, certe etiam statim edita statuenda est, i. e. Balbo missa, quoniam specie epistolae induta est. Nam si hoc vis, inde demum apparet, qua causa commotus sit Hirtius, ut epistolam ante commentarios componeret, quae est, ut Balbo quam celerrime nuntiaret se iam 'rem difficillimam' suscepisse, ut et Balbus 'assiduas voces' mittere desineret nec Hirtius ipse 'cotidiana recusatione difficultatisque excusatione' uti cogeretur. Sed huic opinioni simul scriptae simulque editae praefationis obstant illa perfecta 'contextui' et 'confeci', nisi Hirtium mendaciis onerasse amicum putas. Quae cum ita sint, praefationem non ante libros ipsos conscriptam manifestum est, quamquam longus post Nipperdeium est ordo idem putantium. Epistolam autem sui excusandi et purgandi causa scriptam non statim Balbo misisse Hirtium plane reiiciendum arbitror.

Sed ne Eussnerus²⁾ quidem quique eum sequuntur certam fidem afferunt orationi. Nam quod dicunt Hirtii epistolam b. gall. VIII confecto esse conscriptam Hirtiumque illud 'contextui' de absoluto libro de b. gall. VIII, hoc 'confeci' de novissimo commentario absolvendo recte adhibuisse, non certa auctoritate sed sua opinione ducti affirmasse putandi sunt. Equidem ut repugno quo minus Hirtius aliud perfectum alia mente ac vi quasi una voce unoque sonu posuerit — insolens atque inauditum id mihi videtur —, ita ne argumenta quidem, quae petunt a Sallustii Tacitique prooemiis, aliquid valere recte monet Hartelus. Nec quod Landgrafius ad Eussneri sententiam probandam affert verba Hirtii 'qui me mediis interposuerim Caesaris scriptis', id respiciendum existimo, quoniam Hirtius, etsi illa sine dubio proprie dicta sunt de b. gall. VIII, tamen illo enuntiatio 'quos utinam qui legent scire possint, quam invitus susceperim scribendos, quo facilius caream stultitiae atque arrogantiae crimine, qui me mediis interposuerim Caesaris scriptis' non unum commentarium, sed commentarios significat.

Itaque sequitur, ut Hirtium praefationem non prius quam libros ipsos composuisse pro certo ponamus. Sed iam altera multisque difficilior quaestio occurrit, quis sit ille 'commentarius novissimus imperfectus ab rebus gestis Alexandriae', quem ad exitum vitae Caesaris se confecisse Hirtius nuntiat. Atque cum in extremis capitibus belli civ. III

¹⁾ cf. Hartel, commentat. Woelfflin. 1891 pg. 119. — ²⁾ Burs. Jbb. 1883, 2. Abt. S. 139.

de initiis belli Alexandrini agatur, primo obtutu non improbabile videtur Hirtii verba ad illa capita (b. civ. III, 101—112) referre. Sed si paulo diligentius rem spectaveris, haec opinio plane tibi reicienda est. Nam Hirtius expressis verbis affirmat (b. gall. VIII, 48, 10) Caesarem res singulorum annorum singulis commentariis mandasse, quae verba non modo ad libros de b. gall., sed omnino ad omnes Caesarianos pertinere apparet, idque ubique¹⁾ factum videmus: ita noster quoque commentarius III de bello civ. res anni unius 706 ab u. c. tractat et, quoniam genus dicendi nullo modo a Caesariano abhorret²⁾, non tantum liber Caesaris, sed etiam perfectus et absolutus commentarius Caesaris est habendus. Qua re cognita recte opinari licet Hirtium de alio quodam imperfecto commentario IV (vel potius sicut ex codice S. apparet, III) de b. civ. dixisse, quo res quasdam Alexandriae gestas Caesar depinxit. Iamque diiudicandum est, sitne ille commentarius idem, qui amplectitur illa capita 33 de rebus Alexandriae gestis quique vocatur nostris temporibus 'bellum Alexandrinum'. Quod nisi ex comparatione generis dicendi libri cum Caesaris sermone explorari non posse doleo. Neque enim ignoro ambigi inter viros doctos quantum sit tribuendum similitudini verborum, locutionum, sententiarum, si de libri cuiusdam origine disputandum est, et cavendum arbitror, ne nos nimis incaute hac iniqua et lubrica via progrediamur, tamen ea, quae proponam, satis certa graviusque argumenta videntur, quibus demonstrare audeam, capita 1—21 illius libri³⁾ esse a Caesare conscripta, quibus Hirtius illud nomen imperfecti commentarii indidit.

Ac primum monere iuvat multa vocabula, quae semel atque iterum in capp. 1—21 ipsis leguntur, nec in b. gall. VIII nec in posterioribus partibus belli Al. inveniri. Quod ut mirum est, ita per se patet: nam omnia haec sunt Caesaris, ipsius in libris saepe adhibita, Hirtio inusitata. Sic 'pugna' (15, 5. 8. 16, 5), 'neque vero' (2, 1. 15, 8. 18, 1), 'postquam', 'posteaquam' (12, 2. 14, 1. 20, 3. 21, 1), 'omnino' (1, 6. 6, 4. 18, 4. 19, 5. 20, 5), 'se eicere' (17, 6. 19, 5. 20, 1. 21, 2), 'laborantibus (succurrere)' (1, 5. 21, 5), et quae paulo infra ordinem capitum secutus proponam, ut in Caesaris, ita in Hirtii non item invenias. — Deinde vero in his capitibus neque elegantem illam Caesaris alacritatem nec vigorem merito requirimus, quibus is nulla oratorum arte usus tamquam praesentem ubique depinxit rerum gestarum imaginem. Quod te librum perlegentem et nostra capita cum sequentibus comparantem nullo modo effugere potest; nam quam pinguis et impolita ubique in illis, quam facilis et polita in nostris compositio! Ita hoc quoque excluditur Hirtius, postulatur Caesar. Tum argumenti instar putandus est locus 19, 6, ubi scriptum est: 'pugnabatur a nobis ex ponte', quia ita referre non potuit nisi qui ipse rebus gestis interfuerat, id quod Hirtio non evenit. Itaque Nipperdeius hanc codicum scripturam Hirtii gratia spuriam arbitratus mutavit in 'a nostris', quod

¹⁾ Excipiendi videntur libri I et II de b. civ., qui res unius anni 705 complectuntur, tamen illos duos libros antiquis temporibus unum fuisse, numero IX inscriptum, cernitur ex codice Ashburnhamiano (cf. pg. 6), ubi libri corporis Caes. numeris continuatis comprehenduntur, hoc modo: VIII = b. gall. VIII; IX et X = tres libri de b. civ.; XI = b. Al.; XII = b. Afr.; XIII = b. Hisp.

²⁾ cf. Schiller, Bl. f. d. bayr. G.-W. 1880 pg. 396—399.

³⁾ Quo minus a capite 22 opus Hirtii ipsius proficisci contendam, non obsistit illud 'imperfectum ab rebus gestis Alexandriae', quod ita interpretari licet, ut certum locum belli Al. (capp. 1—33) Hirtium significasse dicamus, unde Caesaris imperfectum librum suppleret. Cf. Zingerle l. l. pg. 77.

numquam facere potuit, si Caesarem auctorem respexisset. Recte igitur defendit Vielhaber¹⁾ illud 'a nobis' Dintero, Zingerlio, aliis probantibus. Idem Caesar scripsit paulo supra cap. 3, 1: 'ipsi homines . . . quae a nobis fieri viderant, ea . . . efficiebant, ut . . .' Vides me non laudare Schillerum²⁾, qui nuper quamquam lectionem 'a nobis' non emendat, demonstrare conatur, Hirtium teneri posse auctorem, dummodo illud pronomen eodem modo quo apud Sallustium interpreteris. Sallustius enim etsi non interfuisse eum constat rebus, quae tractat in Iug. 91, 7, tamen dicit: 'id facinus contra ius belli non avaritia neque scelere consulis admissum, sed quia locus Jugurthae opportunus, nobis aditu difficilis', quam dicendi rationem Schillerus vocat „eine Äußerung römischer Subjektivität“. Sic censeo: Etiam si hoc ex auctore quodam, qui belli particeps fuerat locumque 'Jugurthae opportunum' viderat, Crispum deprompsisse non statuamus, minime licet normam petere, ad quam dirigendus sit ex quaque iudicandus sermo Hirtianus, uno ex Sallusti sermone — nam locus b. gall. V, 42, 2, quem idem Schillerus affert, non satis certam praebet codicum scripturam neque ei vis probandi inesset —, cuius vituperant obscuritatem, audaciam in translationibus, verborum fingendi et novandi studium³⁾.

Iam ad magis fulciendam opinionem meam de origine prioris partis libri de b. Al. ea, quae et in nostris leguntur capitibus et in Caesaris genuinis libris, hac tabula componam:

Cap. 1: foramina. Hoc rarum vocabulum legitur 3, 53, 4⁴⁾ — munitiones proferre. 1, 81, 3. — quam . . . hanc. Cf. Meusel. lex. I, 1401. — illud spectans ut. 3, 85, 2. — acies uno consilio atque imperio administraretur. 1, 29, 5: uno consilio. V, 11, 8: communi consilio bellum administrare; cf. VII, 76, 4. 3, 14, 2. — ut laborantibus succurri posset. VII, 70, 2. 85, 1. 86, 1; cf. I, 52, 7. IV, 26, 4. V, 44, 9. VII, 13, 1. 2, 6, 2. 3, 64, 1. — imprimis ut III, 10, 2. VII, 45, 8. — copiam exiguam. V, 12, 5. — nullam omnino facultatem habere. III, 9, 6: neque ullam facultatem habere navium; III, 12, 3: cuius rei summam facultatem habebant; 2, 32, 11: nulla omnino nave desiderata. — Omnia haec apud Hirtium nusquam inveniuntur.

Cap. 2: Neque vero Alexandrinis in gerendis negotiis cunctatio ulla aut mora inferebatur. Simillimum locum invenies 3, 75, 3: neque vero Pompeius . . . moram ullam ad insequendum intulit. Ad 'negotium gerere' cf. III, 18, 5. 3, 97, 1; ad 'mora inferebatur' 3, 77, 3. Utrumque Hirtio spretum, qui saepius dicit 'rem gerere'. — magnumque numerum in oppidum telorum atque tormentorum convexerant . . . Nec minus in urbe maximae armorum erant institutae officinae. Cf. 1, 34, 5: frumentum . . . in urbem convexerant; armorum officinas in urbe instituerant. — Triplicem vallum obduxerant. 3, 63, 3; verbum 'obducere' invenies II, 8, 3. 3, 46, 1. — in quaecumque erat visum partem. Eandem collocationem verborum Caesar praebet 1, 75, 1: 'quicumque accidisset casus'; similiter 1, 87, 2: 'quascumque postea controversias'. — Iam ex reliquis capitibus haec perlustrabo:

Cap. 7: Quo facto tantus incessit timor. 3, 101, 2: tantusque eo facto timor incessit; cf. 2, 29, 1: magnus omnium incessit timor; 3, 44, 6: magnusque incesserat

¹⁾ Ztschr. f. d. österr. Gymn. 20 pg. 547 sq. — ²⁾ Commentat. Woelfflin. 1891 pg. 53 sq. —

³⁾ cf. Sueton. gr. 10; Quintil. 9, 3, 12; Gell. NA. 4, 15, 1 etc. — ⁴⁾ In afferendis locis Caesarianis libros de b. gall. numeris Romanis, de b. civ. Arabicis significavi.

timor sagittarum. Locutio ea Hirtio sprete est. — dubitatio I, 14, 1. V, 48, 10. VII, 40, 1. — ad extremum casum periculi omnes deducti. III, 5, 2: res esset iam ad extremum perducta casum; V, 31, 1: ne rem in summum periculum deducant; 1, 19, 4: sese rem in summum periculum deducturum non esse. — multo graviores (?) extimescerent casum. III, 13, 9: quarum rerum omnium nostris navibus casus erat extimescendus. — in apparanda fuga. Cf. 3, 21, 5: prodicionem apparare. — in parte Caesaris. 3, 112, 12. Al. 6, 1.

Cap. 9: Hac oratione habita atque omnium mentibus excitatis. I, 44, 1: hac oratione habita... conversae sunt omnium mentes. Praeterea legitur 'hac oratione habita' I, 32, 1. 33, 1. 2, 28, 4. 3, 90, 4; ad 'mentem excitare' cf. VII, 84, 5. 1, 76, 5. 2, 30, 3. Similia apud Hirtium nusquam. — dat negotium ut. II, 2, 3. — reliquis operibus intermissis. 1, 42, 2: opus intermittit. — ex dediticiis. I, 27, 4. 44, 5. II, 17, 2. 32, 2; vox Hirtio inusitata. — continenter. I, 1, 4. 26, 5. III, 5, 1. 1, 46, 1; Hirtius hoc vocabulo plane abstinuit. — Hae naves; hi cum: haec Caesarem redolent; H. dixisse putandus est: quae naves; qui cum.

Cap. 13: Erant... dispositae. Eandem verborum collocationem habes: 3, 102, 1. Al. 11, 1 etc. — Naves veteres erant in occultis regiae navalibus... has reficiebant... ad has minores... adiecerunt... seque ad confligendum omnibus rebus paraverunt. Cf. simillimum locum 2, 4, 1: Massilienses... veteres ex navalibus productas naves refecerant... piscatoriasque adiecerant. Nacti idoneum ventum... se ad confligendum animo confirmant. — se paraverunt ad: VII, 41, 4: se in posterum diem similem ad casum parare (sic Schneiderus cum optimis codicibus!) — Itaque... contra omnium opinionem... confecerunt. VII, 56, 4: itaque... contra omnium opinionem ad Ligerim venit. — necessitati servire. VII, 34, 1: bello servire; IV, 5, 3: incertis rumoribus servire.

Cap. 14: Postquam eo ventum est, ut. VI, 43, 4: in eum locum ventum est, ut... De 'postquam' supra dictum est (pg. 9). — sibi uterque confideret. 3, 10, 7: dum sibi uterque confideret. — reliquas naves subsidio (= der Reserve) distribuit. IV, 22, 4: naves onerarias equitibus distribuit. Voce 'subsidium' H. nusquam usus est. — constituit atque imperat. 2, 44, 3 — reliquas subsidiarias (naves). 1, 83, 2: subsidiariae cohortes. — erant inter duas classes vada transitu angusto... satisque diu inter ipsos est exspectatum, ab utris fieret transeundi initium, propterea quod ei qui intrassent... impeditiores fore videbantur. Cf. II, 9, 1: palus erat non magna inter nostrum atque hostium exercitum. Hanc si nostri transirent, hostes exspectabant; nostri autem, si ab illis initium transeundi fieret, ut impeditos aggredierentur, parati in armis erant. — si durior accidisset casus. 1, 75, 1: quicunque accidisset casus; 3, 94, 6: si quid durius acciderit.

Cap. 16: Par erat proelii certamen. 1, 51, 5: pari certamine res geri poterat. — si inferiores fuissent. II, 8, 3. 1, 47, 2. 57, 1. 3, 84, 4; H. nusquam. — reliquam tamen fortunam periclitarentur. 1, 72, 2: cur denique fortunam periclitarentur; 3, 10, 3: neque amplius fortunam periclitari. Praeterea verbum 'periclitari' eodem sensu (= temptare, experiri) usurpatum est: II, 8, 2; VII, 36, 4; Hirtio sprete. — illud grave ac miserum videbatur. Cf. VII, 14, 10: haec si gravia aut acerba videantur; I, 32, 4: hoc esse miseriorem et graviores fortunam. H. idem nullo loco. — per paucos.

I, 6, 1. 53, 2. III, 15, 5. IV, 15, 3. V, 5, 4. 23, 4. VII, 11, 8. 2, 44, 5; Hirtio inusitata. — summa rerum. 2, 30, 1. 3, 51, 4; vocabulum 'summa' sescenties. — haec superioribus diebus . . C. suis exposuerat. 3, 86, 1: in consilio superioribus diebus dixerat. — saepenumero. Caes. quinquies: I, 33, 2. 39, 1. 40, 7. VI, 8, 4. VII, 62, 2. H. nusquam. — ut hoc maiore animo contenderent, quod viderent. Forma dicendi Caesari valde adamata; cf. Meusel. lex. I, 1488. — erat obtestatus ne. VII, 4, 5. 47, 5. 71, 3. — ad pugnam proficisceretur. 3, 99, 3: in pugnam proficisci. — hoc animo est decertatum ut. 2, 6, 1: hoc animo decertabant, ut. — numero navium praestantibus. 3, 44, 5. 47, 2: numero militum praestare. — neque virtuti nostrorum possent adaequare. 2, 16, 3: ubi se virtute nostris adaequare non posse intellegunt. — capitur hoc proelio quinquere mis una et biremis cum defensoribus remigibusque. 3, 24, 3: unam ex his quadriremem cum remigibus defensoribusque ceperant. — nostris incolumibus omnibus. 2, 35, 5: suis omnibus incolumibus. — quas protexerunt ex molibus. 1, 79, 2: ex locis superioribus . . suos ascendentes protegebant. — adire propius prohibuerunt. 2, 43, 4: adire propius tardarentur.

Cap. 17: omni ratione. 1, 65, 5. 67, 5. Al. 8, 6. — intrari posse confidebat. I, 23, 3. II, 30, 4. III, 9, 5. V, 27, 4. VI, 40, 2. VII, 37, 6. 1, 69, 2. 2, 10, 1. 31, 2. — levis armaturae electos . . in navigia minora scaphasque imponit. 3, 62, 2: magnum numerum levis armaturae in scaphas imponit. — distinendae manus causa. VII, 50, 1. 84, 3. 3, 52, 1. — praemiis magnis propositis, qui primus insulam cepisset. VII, 27, 2: qui primi murum ascendissent, praemia proposuit. — pariter 3, 52, 1. — ex tectis aedificiorum propugnabant. V, 9, 6: ex silvis rari propugnabant; cf. VII, 86, 5. — mobiliter et scienter tueri. III, 10, 3: mobiliter; VII, 22, 2 et 1, 55, 1: scienter. — ubi primum. III, 14, 2. IV, 12, 1. VII, 51, 3. 3, 18, 3; contra H.: 'ut primum' VIII, 30, 1. — omnes Pharitae terga verterunt. I, 53, 1: omnes hostes terga verterunt; III, 19, 3. 21, 1. IV, 35, 2. 37, 4. VII, 88, 3. 1, 43, 5. 45, 1. 47, 2. 3. 2, 34, 6. 3, 46, 5. 63, 8. 94, 2. H. nusquam, sed 'profugiunt' et similia. — naves ad litora applicarunt. 3, 101, 5: applicatis ad terram navibus. — se ex navibus eiecerunt. IV, 15, 1. V, 15, 3. 21, 5. VII, 28, 5. 47, 4. 3, 96, 3. (cf. pg. 9).

Cap. 18: Neque vero. Cf. pg. 9. — ea munitione se continere potuerunt. Verbum 'se continere' H. non adhibet, Caesar saepius: II, 18, 3. 30, 2. IV, 34, 2. V, 44, 5. 50, 1. VI, 24, 3. VII, 19, 2. 3, 37, 4. — ut tum accidit. Locutio Caesaris propria: 2, 4, 4; 3, 68, 1. 1, 80, 1. VII, 3, 2. — se pares esse confidebant. VII, 80, 4: cum suos pugna superiores esse Galli confiderent. — perterriti fuga suorum et caede paucorum. I, 18, 10: eorum fuga reliquum esse equitatum perterritum; cf. 2, 34, 6: praeoccupatus animus militum timore et fuga et caede suorum. — consistere ausi non sunt. VI, 38, 5: ut in munitionibus consistere audeant; cf. II, 17, 3. VI, 23, 2.

Cap. 19: praeda militibus concessa. VI, 3, 2: ea praeda militibus concessa. Hirt. b. Al. 77, 2: condonata! — castellum ad pontem communivit atque ibi praesidium posuit. I, 8, 2: praesidia disponit, castella communivit; 3, 43, 1: castella ibi communivit; cf. 3, 112, 5: praesidium posuit. — simili ratione. VII, 4, 38. 3, 76, 2. — qui praesidio eum locum tenebant. Caesari usitatissima locutio; cf. Meusel. lex. — cohortium trium instar. 3, 66, 1: quod instar legionis videretur. — stationes obtinebant. 1, 56, 4: hae (naves) ad insulam stationes obtinebant. — oplere. 3, 73, 3. —

opere effecto. IV, 18, 1. VII, 35, 5. — nulla omnino scapha. Cf. pg. 9. — ex oppido se eiecerunt. Cf. pg. 9. — pugnabatur a nobis. Cf. pg. 9 extr.

Cap. 20: in his rebus occupato Caesare. 3, 56, 4: in his rebus fere erat Fufius occupatus; 3, 112, 5: in pugna occupatus. — in molem se eiecit. Cf. pg. 9. — pars studio spectandi ferebatur. Cf. 2, 12, 1: ad studium audiendi feruntur. — pars... pars etiam. IV, 32, 1: cum pars hominum in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret. — multum proficere multitudine telorum videbantur. VII, 82, 1: plus multitudine telorum proficiebant. — postquam. Cf. pg. 9. — ultra eum locum. I, 49, 1. 3, 66, 4. — sine signis certisque ordinibus. II, 11, 1: nullo certo ordine; 3, 101, 2: nullis custodiis neque ordinibus certis. Vocem 'signum' (= s. militare: aquila, vexillum etc.) apud Hirtium non invenies. — scalas rapere properabant. Propero c. inf. II, 11, 1. V, 33, 6. 2, 43, 3. 3, 33, 1. 3, 36, 6. — clamorem exaudirent. 1, 66, 2: clamore exaudito. II, 11, 5. VI, 39, 1. VII, 48, 1. 1, 66, 2. 81, 3. 3, 105, 3. — veriti ne ab tergo circumvenirentur. VII, 82, 2: veriti ne ab latere aperto circumvenirentur; 67, 6. — omnino. Cf. pg. 9. — magno cursu incitati... contenderunt. III, 19, 1: huc magno cursu contenderunt; cf. 1, 70, 4. — pars multitudine hominum atque onere depressa est. 2, 43, 4: ut multitudine atque onere nonnulli deprimerentur. — dubitans quid esset capiendum consilii. III, 24, 1: quid hostes consilii caperent exspectabat; cf. V, 53, 4. — incolumes discesserunt. V, 41, 6.

Cap. 21: eodem in periculo versatus est. II, 26, 5. VI, 16, 2. — postquam. cf. pg. 9. — universos. Hoc vi substantivi apud Caesarem saepius: VII, 17, 4. 1, 18, 2. 79, 4. 86, 2. 2, 42, 1. 3, 92, 3. — neque administrandi neque repellendi a terra facultas daretur. IV, 29, 2: neque ulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur. — fore quod accidit suspicatus sese ex navigio eiecit. IV, 31, 1: fore id quod accidit suspicabatur; 1, 40, 7: suspicatus fore id quod accidit; cf. 3, 41, 5. De 'se eicere' cf. pg. 9. — hinc suis laborantibus subsidio scaphas mittens. Cf. ad Al. 1. pg. 10. — hoc proelio desiderati sunt. 1, 51, 6: desiderati sunt eo die; VII, 51, 4. 3, 53, 2. 71, 1. 99, 1; ubique eodem sensu, quo: 'requirere alqm.'

Supervacaneum ex iis quae, ne longus sim, omisi capitibus exempla dictionis Caesarianae colligere, etsi ea facillime afferri possunt. Nam ex tabula prolata satis clare et dilucide apparet, opinionem meam de 'novissimo imperfecto commentario' Caesaris non ex vano iudicio profectam, simulque ex eadem perspicue elucet, quam in his capitibus perscribendis rationem in delectu verborum tenuerit auctor. Praevalet enim sermo belli civ., ita tamen, ut ex belli gall. libris I et VII nonnulla exempla (59), ex libris II—VI pro magnitudine admodum perpauca (67), ex bello civ. 109 in campum vocata sint. Quod non mirum. Etsi enim scriptores, quo longius progrediuntur in componendo, eo melius elegantiusque scribere solent, tamen Caesarem ab laudata illa elegantia, quam nihil aliud nisi proprietatem dicendi delectu verborum effectam Woelfflin¹⁾ exposuit, magis magisque quo propius ad finem scribendi accedebat, tamquam per gradus discessisse manifestum est. Nam summam Caesaris elegantiam in libris de b. gall. II—VI vigere Dernoscheck²⁾ diligentissime delectum verborum utriusque operis perscrutatus recte perspexit idemque aliquantum iam neglegentius fluente narratione in libro VII (similiter

¹⁾ Archiv f. lat. Lexicogr. VIII pg. 143. — ²⁾ De elegantia Caesaris: diss. Leipz. 1903.

atque in libro I) libros de b. civ. quartum occupare locum iudicat, quorum delectus verborum speciem praebeat libris II—VI contrariam. Attamen nullus scriptor sui dissimilis fit. Itaque ne in nostris quidem capitibus vocabula legesque dicendi per libros II—VI severe observatae plane remittuntur, sed latius hic liber patet vocabulis belli civ. Nam dubium esse nequit, quin libros de b. civ. quattuor, si iam numero IV Caesaris de b. Al. capita 21 significare licet, continuo alium post alium Caesar scripserit. Quam ob rem in novissimo illo libro idem Caesarprehenditur atque in libro 1—3. Ita hoc quoque modo opinio mea de origine illorum capitum probatur nec Mengii¹⁾ dissertatione labefactatur. Nam quod is capita 11—14 Caesari abiudicare conatur, infirmas solum et leves causas affert, de quibus breviter disputare libet. Monet igitur Mengius Caesarem in cap. 11, 2 non scripsisse 'ne turpem in conspectu contumeliam acciperet', quoniam is ubique locutioni 'in conspectu' addat genetivum, velut: in conspectu omnium. Sed velim Mengius conferat VII, 35, 1: 'cum uterque utrimque exisset exercitus, in conspectu fereque e regione castris castra ponebant', quam lectionem ex integris codicibus bene feliciterque constituit Nipperdeus. Accedit praeterea, quod Caesar etiam 'in conspectum' et addito et non addito genetivo promiscue adhibet (cf. Meusel. lex. I, 682). Porro: coniunctio 'quamquam' quae neque in b. gall. I—VII neque in b. civ. legitur, Caesarem non excludit. Nam si hac Mengii ratione tamquam regula utimur, ne locum quidem IV, 2, 5 (itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis paucis adire solent) Caesari vindicare possumus, quippe qui coniunctione 'quamvis' nullo alio loco utatur. Denique qui scripsit I, 23, 1 'copiosum oppidum', is facile eo venisse putandus est, ut admitteret Al. 13, 2 'copia urbis'. Quae supersunt Mengii argumenta non maiorem vim habent, sed maxime nituntur vocabulis quae vocantur *ἄπαξ λεγόμενα*, quae nil valent. Neque enim in componendis libris de b. civ. (et Al.) Caesari contigisse puto, ut quae ex legatorum relationibus deprompsit quaeque de suo addidit ipse, tam accurate diligenterque castigaret, ut in ipsius scribendi genus conformata originem non iam proderent. Cuius rei nonnulla exstant exempla, velut b. civ. II, 9 et 10, de quo loco refert Dernoscheck: 'Dilucide haec verba (contabulatio quater, contignatio sexies, demissio, pressio, tabulatio) e sermone fabrorum deprompta sunt, ita ut, cum talia e fabrorum sermone deprompta substantiva per omnes reliquos libros vitata sint, relationem quandam, qua contineretur descriptio turris ante Massiliam exstructae, ad ipsius Caesaris dicendi genus haud accomodatam hoc loco insertam esse coniectare liceat'. Ex talibus fontibus permulta vocabula *ἀπ. λεγ.* manasse videntur.

Sed ne illud quidem probo Hirtium cum commentarium nostrum imperfectum perficiendum inciperet, hic illicve nonnulla retractasse et exarasse. Sane Hirtio etsi, ut in ep. ad Balb. refert, bello Alexandrino non interfuit, res libro tractatae ex parte Caesaris sermone ita notae fuisse videntur²⁾, ut certe si quid Caesar ipse 'parum integra veritate vel consulto vel etiam memoria lapsus'³⁾ perperam ediderat, de suo addere posset. Sed id de industria facere nunquam Aulum ausurum fuisse apparet, quippe qui maxima imbutus admiratione⁴⁾ Caesaris sui laudes praedicet⁵⁾, nunquam eum consulto studio emendandi adductum medio se interpositurum fuisse Caesaris commentario, utpote qui invitatus tantum Balbi precibus tamquam necessitate coactus perficiendos libros suscepit.

¹⁾ Neue philol. Rdsch. 1889 pg. 152 sqq. — ²⁾ cf. pg. 19 extr. — ³⁾ cf. Sueton. Caes. c. 56. — ⁴⁾ cf. pg. 16. — ⁵⁾ ep. ad Balb. §§ 3—7.

Ne tu putaveris librum Caesaris ita lacunosum et rimosum esse relictum, ut multa essent perlustranda et perpolianda. Nam Hirtius in praefatione non dicit: 'novissimum commentarium imperfectum expolivi', sed 'confeci'. Quod verbum non ita interpretari licet, ut dicamus medio quoque libro huic illive capiti truncato manum intulisse Aulum, sed potius Hirtius significare vult se commentarium truncum absolvisse. Nam expressis verbis addit, unde profectum et quo progressum sit¹⁾ supplementum. Quae cum ita sint, ne iis quidem, quae permultis philologis sunt visae locutiones Hirtianae, eam vim probandi inesse dilucide cognoscis, ut meae de origine trunci opinioni refragari videantur. De quibus Zingerlium²⁾ longius in meam sententiam disputasse gaudeo, cuius expositioni ne hilum quidem addere mihi in animo est. Landgrafium autem hoc loco denuo recensere prorsus inutile puto: in hoc quoque opinio eius de Pollione retractante per se ipsa vana, absurda, nulla patet³⁾).

Itaque sequitur, ut omnia capita 21 commentarii de b. Al. ab uno Caesare ipso perscripta esse contendam, quae ab Hirtio in ep. ad Balb. dicantur verbis: 'Caesaris novissimus imperfectus ab rebus gestis Al.⁴⁾ commentarius'. Atque si hoc adhibemus ad Hirtii verba, quae sequuntur, Aulus non modo bellum, quod dicitur Al., a capite 22, sed etiam de b. Afr. et Hisp. confecisse videtur. Sed id plane reiciatur necesse est. Non dicam de b. Afr. et Hisp.: nemo nostris temporibus tam perversus erit, cui in mentem modo venire possit, hoc aut alterum ab Aulo esse scriptum. Sed quid de b. Al. putas? Num ille recte statuendus est auctor? An Hirtius, id quod nonnullis probabile videtur, ex aliorum relatione tamquam ex fonte hausit? Permultae vero sunt difficultates, quae nobis occurrunt quaeque sunt superandae in hac quaestione diiudicanda! Iam ad Hirtii praefationem confugere optimum est, qua una tamquam certo fundamento niti oportet. Atque reperitur ibi Hirtius vir probus et modestus, qui quo magis rebus militaribus, eo minus scribendi ratione eruditus videtur, nisi forte scientiam atque usum scribendi putas, quod is ad amicos epistulas miserat, quarum duo exstant integra exempla nonnullaque fragmenta⁵⁾, et quod perscripserat Anticatoem. Ita fit, ut prorsus nihil absit, quin inutilissimus sit ad liberius per se iudicandum de opere Caesaris litteris mandato. Nam quod dicit in praef. § 5: 'qui (sc. commentarii Caesaris) sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus desit, adeoque probantur omnium iudicio, ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videretur,' Ciceronem imitatur, qui de eodem Caesare refert⁶⁾): 'Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem probandos: nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit.' Ciceronem autem his verbis nihil nisi commentarios de b. gall. spectare apparet, quoniam tantam inurbanitatem ei tribuere non licet, ut idem iudicium faceret, si iam tum, i. e. anno 46, libri de b. civ. in medium prolati fuissent. Quod a Cicerone de b. gall. excogitatum⁷⁾ Hirtius de omnibus libris Caesaris repetit nec quaerit, utrum sincere et vere iudicatum sit necne. Attamen toto caelo distat b. civ. a bello gall. 'Saepe enim

¹⁾ ib. § 2: '(librum) ab rebus gestis Al. confeci usque ad exitum . . . vitae Caesaris'. —

²⁾ l. l. pg. 101—117. — ³⁾ Cf. Zingerle l. l. et quae ipse supra de b. gall. VIII et de b. civ. III adnotavi (pg. 3—6). — ⁴⁾ cf. pg. 9, adn. 3. — ⁵⁾ apud Cic. ad Att. XII, 35, l. 37, 4 etc. — ⁶⁾ Cic. ad Brut. c. 75, 262.

descendit delectus verborum ad vulgarem sermonem; saepe quoque delabatur ad fluctuantem cotidiani sermonis inconstantiam; severae elegantiae leges modo sparsim, modo saepe laeduntur¹⁾). Tam praeiudicata de elegantia et excellentia Caesaris, quem nemo assequi posset, opinione ductum Hirtium a primo consilium cepisse manifestum est Balbo petenti, ut Caesaris commentarios conficeret, non obsequi. Sed Balbus perseverat in petendo nec minus constanter Hirtius est tenax propositi, sed tandem, ne famam inhumanitatis et asperitatis apud Balbum colligat, quamvis anxius pavidusque animo opus aggreditur. Tanta difficultate affecti Hirtii casum utique dolere nos oportet, quippe qui Balbo id officium praestare cogatur, altera vero ex parte intellegat, sibi prae Caesaris elegantia mediocritatem inertiamque scribendi esse et inopiam argumenti materiaeque²⁾), ut maestus confiteatur: 'Mihi ne illud quidem accidit, ut Alexandrino atque Africano bello interesset.'

Ut iam inde coniectare licet, quidnam Hirtius conficere animum induxerit et re vera confecisse videatur, tamen priusquam id aperte dicam, haec mecum legentes ut considerent oro. Primum igitur non multum temporis commentariis Caesaris supplendis Hirtium impendere potuisse apparet, quae res tam aperta est, ut valde mirer, cur in ea exquirenda nimis elaboraverint philologi. Nam quaerentibus quando primum is opus suscepit, non cum morte Caesaris ipsa id factum esse sine dubio comprobandum est. Te quoque etiamsi non in sanctissima usquequaque umbracula causam inquisiveris, sed obiter modo spectes, ex praefatione Hirtiana intellegere puto, Aulum neque ipsum continuo paratum fuisse neque a Balbo petente statim commotum esse, ut libros scriberet, quippe qui paene nulla re, qua scriptores labore negotioque levare solent, adiuveretur. Sed 'assiduus demum vocibus' amici, cum et 'cotidianae difficultatis excusationis et recusationis' iteratae eum pigeret nec prorsus ea multum apud Balbum valerent, coactus est quamvis invitatus ei obtemperare. Nonne igitur manifestum est nonnullis mensibus postquam Caesar interfectus erat, Aulum ad scribendum se contulisse? Difficilius vero est discernere, quo tempore inceptum executus sit; tamen si ea, quae de vita eius traduntur, tamquam in trutina accuratissime deliberamus, non dubium videtur. Ac primum repudio quo minus Hirtius etiam anno 43 in commentariis conficiendis occupatus fuerit. Nam is cum ex adversa valetudine, qua extremo anno 44 fuerat correptus, nondum plane convalesceret, initio anni 43 paludatus ad Mutinam profectus est³⁾ ibique mense Aprili cum Antonio congressus in acie periit⁴⁾); praeterea anno 43 muneribus consulis functus est⁵⁾). Itaque non multum temporis ab occupationibus consulatus et belli liberum relinquebatur, certe non tantum, quantum satis idoneum videtur, quo Hirtius ut tiro in scribendo proficere quid potuerit. Id si Caesari non contigisse videtur, ut inter belli certamina commentarios scriptitaret, quanto minus Hirtius, in componendo peregrinus et hospes, idemque consul semiaegrotus simulque miles, id effecisse putandus erit? Restat igitur, ut iam anno 44 opus confecerit. Quod non prius quam Octobri mense evenisse Hirtii ipsius verba monent. Nam quod in ep. ad Balb. § 2 se Caesaris commentarios perduxisse ait 'usque ad exitum non quidem civilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitae Caesaris,' de illa dissensione hoc modo tum demum dici potuisse recte opinari licet, cum

¹⁾ Dernoscheck, l. l. pg. 69. — ²⁾ Cf. pg. 17 extr. — ³⁾ Cic. Phil. VII, 4, 12. — ⁴⁾ Cic. fam. XI, 9 et 13. — ⁵⁾ Nipperd. ed. pg. 32/33.

Octavianus veteranos contra Antonium concitaverat, isque ad obsidendum Brutum in Galliam discesserat, i. e. Octobri mense. Altera autem ex parte vix in exeuntem annum incidendum puto, quoniam illo tempore Hirtius morbo erat implicitus. Itaque sequitur, ut is Octobri vel Novembri mense anni 44 opus absolverit.

Ut inde elucet Hirtium paucos modo menses in commentariis scribendis consumere potuisse, ita epistula ipsa docere videtur, re vera paululum temporis eum fuisse occupatum. Nam sic collige: Epistula ad Balb., ut supra demonstravi¹⁾, opere iam absoluto conscripta Hirtius rem difficillimam contexendi et conficiendi libros Caesaris se et suscepisse et absolvisse amicum certiore facit. Verba autem ipsa, a quibus Hirtius incipit: 'coactus assiduis tuis vocibus, Balbe, cum cotidiana mea recusatio non difficultatis excusationem, sed inertiae videretur deprecationem habere, rem difficillimam suscepi', mihi ea videntur, quibus Hirtius amico tum demum nuntiet, se eius optatis respondisse. Quod prius ullo modo ad eum se rettulisse ne uno quidem verbo epistulae indicat, sed potius quae de hac re epistula narrat, ut omnium [ignaro] narrat. Quod ipsum ad nostram quaestionem diiudicandam maximi momenti mihi videtur. Nam cum Balbus 'assiduis vocibus' Hirtium adiret, proclive erat Aulum, ubi primum opus aggredi obstinavit animo, amico id renuntiare, ne denuo semper precibus eius obtunderetur. Ac prima causa cur Hirtius id neglexerit, ea habenda est, quod is initio de industria silentio sibi imposito nisi conari non volebat, si quid in scribendo profecturus esset. Tamen hoc uno res non satis explicatur. Nam quid non opere iam longius progrediente meliusque fortasse quam ipse exspectaverat, Balbo scripsit? Altera igitur est causa silentii: Hirtius cum ad corpus truncatum supplendum accessisset, in tot difficultatibus tamen libros brevi tempore conficere volebat. Quam ob rem ne tum quidem Balbo de scribendo nuntiat, sed potius commentariis ipsis iam quam primum ad eum ex improvviso datis amicum opprimere vult. Itaque vix longum temporis spatium libris scribendis Hirtius impendisse potest.

Atque sicut ea, quae adhuc disputavimus, ex praefationis indole concludimus, ita haec quoque a nonnullis iam iactata et tamen aut neglecta aut falso iudicata quaestio de ratione modoque scribendi Hirtii ex epistula ipsa magnam in partem disceptari potest. Ac primum ut Hirtio in scribendo non admodum exercitato viro non facile accidisse recte dicas, ut etiamsi materia ipsa varietate rerum ac locorum bellorumque magnitudine excellens animum permoveret, magna celeritate progrediretur, ita iis verbis, quae sunt in ep. ad Balb.: 'cuius tamen rei (elegantiae Caesaris etc.) maior nostra quam reliquorum est admiratio: ceteri enim, quam bene atque emendate, nos etiam, quam facile atque celeriter eos (libros) perfecit (sc. Caesar), scimus', ipse significare videtur, sibi non idem contigisse, ut facile et celeriter libros perscriberet. Nam qui et elegantiam et celeritatem facilitatemque scriptoris cuiuslibet admiratur, is certe sibi persuasisse putandus est, se minime eum aemulari et adaequare posse. Sed etiamsi hoc, quatenus ad Hirtium pertinet, levius putas, argumenti instar est, quod Hirtio non satis ampla materia tractandi et memorandi erat. Nam et ipse se bello Al. et Afr. non interfuisse queritur et Nipperdeius²⁾ re accuratissime exquisita ita refert: 'Hirtius, dum Caesar Alexandriae moratur, in Achaia erat. Cicero enim³⁾ quaedam eum de Quinto fratre sibi nuntiasse scribit, qui Patris erat⁴⁾. Inde profectus cum Caesar Alexandria discessisset et in Syriam venisset,

¹⁾ cf. pg. 7—8. — ²⁾ ed. Caes. pg. 10. — ³⁾ ad Att. XI, 14, 3. — ⁴⁾ ib. 10, 1. 11, 2.

Antiochiae apud eum fuit¹⁾. Itaque Caesarem deinde contra Pharnacem proficiscentem comitatus esse et una Romam redisse videri debet. Eundem cum Caesar in Africa bellum gereret, in Italia remansisse Ciceronis epistulae ostendunt²⁾. At in Hispania cum Caesare fuit. Itaque cum Hirtius ea, quae ab rebus Alexandrinis usque ad mortem Caesaris gesta erant, perscripturus esset, nonnulla quae ipse fieri viderat, quamvis non sine multo labore de suo componere potuit, quae sunt b. Ponticum (b. Al. c. 65—78) et b. Hispaniense. Sed quid de reliquis partibus iudicas, ubi tractantur res, quibus Hirtius non interfuit? Ac permultis probatur Hirtium in iis scribendis ex variis fontibus hausisse vel ad minuendum laborem commentarios ab aliis sibi faciendos curasse, quos suis et addidit et interposuit, quae ratio adeo firma eis visa est, ut quae refragantur, plane neglegerent. Iam vide, quam incredibilem rem ei comminiscantur! Nam primum apparet Hirtium Caesaris ephemeridibus neque usum esse neque omnino uti potuisse. Quamquam quae de iis accuratius re exquisita recte exposuit Nipperdeius³⁾, iterum afferre prorsus supervacaneum est, tamen Plutarchum, cum res contra Tencteros et Usipetes gestas ἐν ταῖς ἐφημερίδων a Caesare relatas esse dicit⁴⁾, quas ipsas ἐν ταῖς ἰδίαις (?) ἀναγραφαῖς τῶν ἐφημέρων (?) ἔργων⁵⁾ scriptas se vidisse Appianus⁶⁾ testatur, non commentarios belli diurnos, sed libros ipsos de b. gall. significare manifestum est, neque aliter de Symmachi⁷⁾ testimonio iudicandum est dicentis ephemeride Caesaris origines, situs, pugnas et quidquid fuerit in moribus aut legibus Galliarum tradi. Nam qui fit, ut Suetonius, qui de libris Caesaris diligentissime refert, ne uno quidem verbo de eiusdem libro quodam 'ephemerides' inscripto commemoret? An putas eiusmodi libri famam ad Suetonium non venisse, venisse ad illos? Quid? Quod Suetonio⁸⁾ teste Asinius Pollio parum integra veritate libros a Caesare esse compositos affirmavit, cum is memoriae errore quaedam perperam edidisset? Nunquam Caesarem, si res singulorum dierum breviario mandasset, in commentario inde composito memoria labi neque Asinium tam perverse dicere potuisse arbitrator. Nam Asinium brevium Caesaris latuisse incredibile est, quem non modo apud Pharsalum στρατηγὸν fuisse Appianus testatur et in Africa summum apud Caesarem locum militare tenuisse manifestum est, sed etiam Caesari ita fuisse familiarem constat, ut in comitibus amicissimis eius sit numerandus, si quidem fides habenda est verbis eius⁹⁾: 'Caesarem quod me in tanta fortuna modo cognitum vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide'. Quam inepte denique Hirtius ipse in ep. ad Balb. § 6 Caesarem commentarios celerrime facillimeque composuisse praedicaret, si is omnia iam habuisset in breviario perscripta, recte animadvertit Nipperdeius. Sed mirum in modum Zingerlius¹⁰⁾ ex his ipsis Hirtii verbis Caesari fuisse brevium concludit, qui ita refert: „Für die Existenz solcher (Tagebücher) spricht schon das Zeugnis des Hirtius, der nachdrücklich hervorhebt 'quam facile atque celeriter eos perfecit'. Die Schnelligkeit seiner Arbeit erklärt sich nur, wenn man annimmt, daß er beim Niederschreiben der Kommentare früher gemachte Notizen verwerten konnte“. Falsum id est et parum subtiliter excogitatum. Nam Hirtius postquam suam Caesaris admirationem maiorem quam reliquorum esse nuntiavit, quia illi, quam bene atque emendate, sciant, ipse etiam, quam

¹⁾ ib. XI, 20, 1. — ²⁾ ib. XII, 2, 2 et ad fam. IX, 6, 1. — ³⁾ l. l. pg. 5 sqq. — ⁴⁾ vit. Caes. c. 22. — ⁵⁾ de hac lectione suspiciosa cf. Woelfflin. in Phil. 5, 181. — ⁶⁾ vol. I pg. 90. — ⁷⁾ ep. IV, 18. — ⁸⁾ vit. Caes. c. 56. — ⁹⁾ ap. Cic. ep. fam. X, 31, 3. — ¹⁰⁾ l. l. pg. 80.

facile atque celeriter libros perfecit Caesar, ita pergit: 'erat autem in Caesare cum facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima scientia suorum consiliorum explicandorum'. Itaque ut alii Caesaris facultatem bene et emendate scribendi atque elegantiam mirantur, ita Hirtius ipse Caesaris scientia componendi et explicandi verissima effectam celeritatem et facilitatem. Sed Zingerlius et haec neglexit et quae sequuntur. Nam Hirtius velut uno tenore et spiritu queritur se bello Al. et Afr. non interfuisse; quibus in componendis si quid sciat, ex sermone Caesaris se comperisse. Nonne id perversum est, si ipse ephemeridibus a Caesare relictis uti potuit? Atque Hirtius, qui ubique virum modestum probumque ac verum se praebeat, si ex breviario Caesaris haurire potuit, id non celavisset, sed potius laeto animo Balbo nuntiasset¹⁾, aequae atque omnes difficultates scribendi causasque excusandi colligit. Hirtium autem consulto tacuisse, ut Balbo fidem difficultatis scribendi augeret, ex adverso dici non potest. Nam Balbus, qui Suetonio²⁾ teste familiarissimus Caesaris erat, eum commentarios belli diurnos sibi composuisse certe audivisset, quibus Hirtius uti potuit. Itaque is Balbi risum movisset. Quae cum ita sint, nullas fuisse Caesaris ephemerides existimo, quas Hirtius elaborare et tamquam elucubrare potuit. Nec magis credo Hirtium aut ex aliis fontibus in componendo hausisse aut hanc illamve partem operis sui aliis auctoribus debere. Non dicam Hirtium per totam epistolam ne verbum quidem de hac re facere, non iterabo, quam inepte is se bello Al. et Afr. non interfuisse dicturus fuerit, si ea litterarum praesidia ei suppetivissent, sed omnium stultissimus et impudentissimus Hirtius putandus esse videretur, si ubicunque de suo componere non potuit, aliorum opuscula suo supposuisset (velut belli Al. capp. 48—64, b. Afr., id quod nonnullis in mentem venit) eaque sine ulla dubitatione Balbo sua tradidisset. Nam illae partes ita non redolent Hirtii dictionem³⁾, ut Balbus fraudem statim perspexisset, et id eo facilius, quod Hirtius illis verbis: 'mihi ne illud quidem accidit, ut Alexandrino atque Africano bello interesssem; quae bella quamquam ex parte nobis Caesaris sermone sunt nota...' utique efficere videatur, ut Balbus eam intellegere cogatur. Neutrum igitur verum est: Hirtius neque ex aliquo fonte hausit neque aliorum opuscula operi suo addidit.

Atque quoniam de suo perpauca modo perscribere potuit⁴⁾, sequitur, praesertim si omnia, quae adhuc disputavimus de eius inertia et inscitia componendi, de odio scribendi, quod imprimis propter vanam suam de Caesaris inimitabili elegantia opinionem eum ceperat, de parvo temporis spatio, quod consumpsit in supplendo, denique de lenta conficiendi ratione, — si igitur haec omnia computavimus et perpendimus, sequitur, ut Aulus opusculum exiguum et vile perficere et voluerit et potuerit, quod res omnium gravissimas maximeque necessarias, in quantum⁵⁾ eas oculis suis viderat aut Caesaris sermone compererat, comprehenderet et vix unius voluminis, i. e. commentarii circuitum et modum transiret. Itaque in ep. ad Balb. recte dicit de uno commentario, quem ad mortem Caesaris perduxerit. Quod vero a Caesaris consuetudine discedens res complurium annorum

¹⁾ Similiter Hirschfeld. in Herm. 24, 101: „Hirtius hätte in seinem Briefe nicht davon (sc. dem Tagebuche Cäsars) geschwiegen, der im Gegenteil nichts mehr gewünscht hätte, als seine Legitimation zu dieser Fortführung mit hinterlassenen Aufzeichnungen Cäsars begründen zu können“.

²⁾ vit. Caes. c. 81. — ³⁾ cf. pg. 20 adn. 1 et pg. 23—24. — ⁴⁾ cf. pg. 18 in. et pg. 20 in.

⁵⁾ cum hac opinione valde congruunt verba Hirtii in ep. ad Balb. § 8: 'quae bella (Al. et Afr.)... ex parte nobis... sunt nota'.

hoc uno libro tractavit, nihil habet offensionis. Nam idem invenimus in b. gall. VIII, qui liber duos annos continet, atque Hirtius ut ibi legentibus se excusat eo, quod annotat cap. 48, 10: 'scio Caesarem singulorum annorum singulos commentarios confecisse; quod ego non existimavi mihi esse faciendum, propterea quod insequens annus . . nullas habet magno opere Galliae res gestas', ita in nostro se purgasse putandus est hoc: 'quod res singulorum annorum non omnes mihi sunt notae!'

Quibus rebus expositis iam quid commentarius ille Hirtianus comprehendisse videatur, quaerendum est. Ac mihi et verbis Hirtii, quae in ep. ad Balb. leguntur, et iis quoque nitenti, quae auspiciis bonis explorata condicioni Hirtii ad componendum non satis idoneae imprimis respondent, Aulum ea tantum, quae ipse geri viderat vel quae sermone Caesaris ei nota erant, illo perscripsisse persuasi, quae sunt et bellum Ponticum (b. Al. c. 65—78) atque Hispaniense quoddam et b. Al. ab rebus Alexandrinis confectum (b. Al. c. 22—33) atque Africanum quoddam. Quae quattuor partes non omnes servatae sunt, sed b. Afr. et Hisp. periire. Nam quae nostris temporibus sub hoc titulo corpori Caes. sunt addita, non Hirtii esse nemo non videt¹⁾. Contra ad nostram memoriam manserunt et b. Al. ab Hirtio absolutum et b. Pont., quae Hirtii narrationem ita redolent, ut omnis fraudis suspicio excludatur. Iamque quid maxime sit proprium stili Hirtiani, in quantum ex bello gall. VIII appareat, summatim exponam, ita tamen, ut quam plenissima sit imago auctoris, cui quantopere respondeat Aulus in illis partibus, mox agnosces. Itaque cum multae exercitationis sit dicendi artem ad summum perfectionis gradum promovere, Hirtius sane non poterat eas in dicendo virtutes attingere, quas miramur in Cicerone. Ne Caesaris quidem alacritatem elocutio Auli habet, sed mediocritas quaedam sine varietate et lentitudo gravis illic in oculos incurrit, Hirtio immodice adhibente eam compositionem, ut protaxin per 'cum' particulam incipientem apodosi praemittat, coniungat autem sententias per pronomen relativum, 'quarum rerum illa longa fere enuntiata efficit, utraque tardam et motu carentem orationem'. Nec minus ut ita dicam taedium affert creber earundem particularum usus, velut 'etsi' vel 'tametsi' — 'tamen' (9, 2. 10, 4 bis. 16, 1. 19, 7. 20, 1. 27, 3. 28, 4. 29, 1. 50, 3) et 'quamquam' — 'tamen' (praef. § 8. 42, 3. 52, 3. 55, 2); contra aliae prorsus neglectae sunt, velut 'postquam', 'posteaquam', 'quamvis'. 'Priusquam' quater usurpatum est, nunquam 'antequam'. 'Repente' legi duodecies, nunquam 'subito'.

Cui Hirtii scriptoris imagini ex b. gall. VIII composito in omnibus mirifico quodam consensu respondere Hirtium in b. Al. capp. 22—33 iam cognosce. Ac primum haec capita ut multo inferiora sunt antecedentibus²⁾, ita pleraque sunt inculta adeoque mediocria lentitudine quadam dicendi atque ea persaepe adhibita complexionis forma, qua sententiae per pronomen relativum aut coniunctionem 'cum' coniunguntur, ut paene nullus nisi Hirtius hoc uno auctor peti videatur. Iam primo aspectu tironem in componendo invenis in capite 22. Octo illi versus huius capitis etsi valde sunt deperditi et depravati et paene nihil continent ex ea dictione, quae in nullum nisi in Hirtium convenire possit, tamen aperte demonstrant auctorem esse alium atque capitum antecedentium. Nam ut ibi rerum gestarum paene sub aspectum subiectio est, ita hic inania vanaque verba exstant, unde quam non in rem se insinuare potuerit auctor satis cognoscitur. Nec minus

¹⁾ Quoniam differentiae dictionis inter hos libros et Hirtii b. gall. VIII a multis accuratissime tractatae satis apertae sunt, hoc loco de hac re iterum quaerere prorsus inutile est. — ²⁾ cf. pg. 9. extr.

egregie in Hirtium cadunt varia vocabula et locutiones, quae ex b. gall. VIII deprompta sunt; quo ex numero haec perlustrare satis est:

Cap. 23: secundis rebus confirmari. cf. VIII, 13, 4. — qui in Caesaris erant praesidiis. cf. 33, 2: quae manserat in fide praesidiisque eius. Dictio Ciceroni valde adamata, quam Hirtius haud scio an imitatus sit. Nam Ciceronem dicendi discipulum illo tempore habuisse Hirtium constat (cf. Cic. fam. 9, 16, 7; ad Att. 14, 12, 2; Quintil. 12, 11, 6; Sueton. de gramm. pg. 121; Sen. contr. I praef. 61, 16; Landgraf. l. l. pg. 65/66). — consilio . . regi probato. VIII, 21, 1: hoc omnibus probato consilio. — facere id quod rex imperasset. VIII, 48, 8: se ea facturum quae imperavit. Caesar semper: 'imperata facere'. — periculi timor. VIII, 5, 4: periculi terror. — Gravissimum autem indicium est, quod ex hoc et quae alia afferam capitibus nota coloris Hirtiani claro clarius eminet, id quod neminem effugere potest, qui accuratius in Hirtii stilum inquisiverit.

Cap. 25: De initio cf. Landgraf. l. l. pg. 111: „Das Gepräge des ganzen Kapitels ist unverkennbar das hirtianische; man lese nur den sich mühsam durch den ganzen ersten Paragraphen hinschleppenden Satz, ein Glied scheint an das andere angeleimt zu sein“: Cum . . animadverterent eludentibusque militibus . . magnum dolorem acciperent neque . . viderent rumoresque existerent etc. — Similem nimis longam ideoque minime argutam periodum invenimus in § 5: 'Nam cum . . ventum esset, instructaque utrimque classis conflixisset, et . . proelium commisisset et triremem hostium perforasset . . ' — commeatum intercipere. VIII, 30, 1. 47, 2; apud Caesarem invenies: 'commeatum intercludere, prohibere'. — expeditis navigiis idoneis locis in statione dispositis. VIII, 15, 3: exquites in statione disponit; VIII, 28, 2: turmas idoneis locis disponit. — dimicatio. Voce 'pugna' H. nullo loco utitur. — cum ad Canopum ventum esset. VIII, 23, 5: cum in colloquium ventum esset.

Cap. 27: pars quaedam fluminis Nili. VIII, 26, 1: pars quaedam civitatis eius. — superari delerique. Haec coniunctio duorum infinitivorum per 'que' Hirtio non inusitata est. — optabat eum vinci. Optare cum acc. c. inf. invenies VIII, 41, 2: hoc fonte prohiberi posse oppidanos cum optarent reliqui; cum inf. VIII, 9, 2: etsi dimicare optaverat. — festinantes praeripere. cf. Al. 71, 1: festinantem ac . . ; Caesari spretum; ep. ad Balb. § 5: ut praerepta . . videatur. — magnum numerum interfecit. cf. VIII, 25, 1. — ab illo timore se recrearunt. VIII, 1, 1: milites reficere a tantis laboribus. Cicero scribit: reficere et recreare ex, Caesar unum: 'reficere ex'.

Sed haec hactenus, quamquam ex reliquis quoque Hirtiana petere facile est.

Quibus paucis capitibus peragratissimum genus dicendi ab Hirtii minime abhorreere apparet, ut meae de huius partis corporis Caes. origine opinioni nihil obstare videatur. Altera vero ex parte ii errare non videntur, qui hic illicve nonnulla ex Caesaris consuetudine inveniri arbitrantur. Nam cum omnia, quae his capitibus narrantur, solo Caesaris sermone Hirtio nota essent, nonnulla sane ita tenuisse eum memoria non incredibile est, ut ad verbum referre posset, quae audiverat; itaque perpaucis locis Caesaris colorem et dictionem exstinxisse non videtur. Cuius rei certa argumenta proponere etsi 'periculosae plenum opus aleae' est, tamen huc primum pertinere puto, nisi omnia me fallunt, caput 28, 1—2: 'mittitur a Mithridate nuntius Caesari, qui rem gestam perferret. Cognoscit ex suis eadem haec accidisse rex'. Similis est locus 2, 39, 1:

progressus milia passuum VI equites convenit, rem gestam cognovit; e captivis quaerit, quis castris ad Bagradam praesit: respondent Saburram; cf. V, 47, 5: litteras Caesari remittit, . . rem gestam in Eburonibus perscribit. — paratam (= ad pugnandum p.) classem. I, 6, 2: legiones habere sese paratas; II, 9, 1: nostri . . parati in armis erant; VII, 59, 5: alteram (partem) Camulogenus parato atque instructo exercitu tenebat. Hirtius ita nusquam. — eum . . incolumi exercitu recepit. cf. VII, 12, 6: suosque omnes incolumes receperunt. Praeterea adiectivum 'incolumis', Hirtio in b. gall. VIII spretum, Caesari usitatissimum est; in b. Al. invenitur duobus locis Caesarianis: 16, 7; 20, 7 et 47, 1, 5 (anonym.). — Etiam cap. 29, 1—2 et 32, 2 vestigia dictionis Caesarianae superesse videntur: inter castra et Caesaris iter flumen intercedebat angustum. Cf. 3, 19, 1: inter bina castra Pompei atque Caesaris unum flumen ('tantum'. sic codd. = 'angustum?') intererat. — qui transitu Caesarem prohiberent. Cf. VII, 57, 4: nostros transitu prohibere instituit. — Cap. 32, 2: neque eum . . fefellit, quin. 3, 94, 3: neque vero Caesarem fefellit, quin. Verbum 'fallo' in b. Al. duobus tantum locis Caesarianis: 15, 4, 16, 5; in b. gall. VIII nusquam. — eo proelio audito. III, 27, 1: hac audita pugna; VII, 88, 5: hac re audita; et saepius. Hirtius hoc verbum eodem modo non adhibet. — fructum virtutis et animi magnitudinis tulit. Al. 15, 1 (Caes.): animi magnitudine ac virtute; 1, 74, 7: magnum fructum suae pristinae lenitatis . . Caesar ferebat.

Contra unus Hirtius offertur, qui capita 65—78 de b. Al. perscripserit. Facile gravissimum est, quod illius lenta et mediocris oratio, de qua saepius commemoravi, nusquam merito desideratur. Velim perlegas capp. 65, 1. 67. 68, 1—4, ubi Hirtius sui simillimus est. Sicut haec una res argumenti instar est, ita omnia illa vocabula Hirtiana, quae ex quavis pagina erui possunt. Haec potissima legentium oculis subiciam:

Cap. 68: cum . . cumque. Periodus Hirtii propria; cf. nos ad Al. 25 pg. 21. — excusationem imprudentiae recipere. Ep. ad Balb. § 1: difficultatis excusationem habere. — coarguisset. *ἀπ. λεγ.*, Ciceroni valde admatum. Cf. nos ad Al. 23 pg. 21. — de controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse. 65, 4. cf. VIII, 46, 5. — legionem eam, quam. Quae pronomini demonstrativi collocatio Hirtio non est inusitata; VIII, 8, 3: rebus iis, quae; Al. 32, 3: veste ea, quae; cf. 66, 4: sacerdotium id.

Cap. 74: repente. Vox Hirtio usitata. — pro vallo instructa. VIII, 15, 3. — quibus obtemperasse (VIII, 7, 4) eum postea audiebamus. Haec sunt auctoris, qui pugnae interfuit. 'Nam qui non affuisset, inepte se id postea audisse diceret, quod antea audire omnino nequisset', recte Nipperdeus pg. 11. — inito consilio VIII, 16, 1. — cum interim. VIII, 19, 8.

Cap. 76: initium victoriae natum est. VIII, 6, 1. Al. 33, 2. — quae quam facile subierant . . . tam celeriter. Hirt. ep. ad Att. 15, 6, 2. — suorum ruina oppressis. Al. 31, 5. — armis proiectis. Al. 32, 3. — at nostri victoria elati. VIII, 29, 3. — omni multitudine. VIII, 51, 3; Al. 32, 3. — facultatem attulisset liberius profugiendi. VIII, 32, 1: nec iam libere vagandi . . facultatem haberent. Cf. VIII, 16, 2.

Cap. 78: de controversiis cognoscit et statuit. 65, 4. 68, 3; cf. VIII, 46, 5. — rem feliciter celeriterque gestam. VIII, 46, 2: rem celeriter feliciterque confecit; cf. Al. 32, 1 paulo infra: rebus felicissime celerrimeque confectis. — disci-

plinis regiis educatum. Al. 24, 3: regius animus disciplinis fallacissimis eruditus. — celerius omnium opinione. VIII, 8, 4. Al. 71 extr.

Itaque quoniam etiam genus dicendi hoc modo in Hirtium convenit, iam de auctore non est dubitandum.

Sed ut ex opere illo Hirtiano b. Afr. et Hisp. Auli periere, ita alia nunc insunt, quae Hirtii omnino non esse possunt, dico de excursionibus bello Al. insertis (capp. 34—41; capp. 42—47; capp. 48—64). Neque enim, ut supra docuimus, res his capitibus tractatas ipse geri viderat neque aliorum auxilio in componendo usus est, ut non videam, quo modo ea perfecisse putandus sit. Itaque quod ibi permulta ab usu Hirtiano discrepantia observamus, non mirum est. Sed ne ab eodem quidem homine illas tres partes scriptas esse iudicare cogimur; nam forma uniuscuiusque quodammodo per se est absoluta, dispositio materiae genere tantum similis, sermo nisi in perpaucis rebus plane diversus. Alterius tamen partis dictio proxime accedit ad Hirtianam, magis recedit ab illa primae; tertium locum occupant capita 48—64, quorum auctor suum quoddam genus scribendi et artem propriam secutus non modicam componendi facultatem et alacritatem habet. Ita complura a Caesaris Hirtiique consuetudine abhorrentia invenimus, magnam quidem in partem poetica et antiquiora. Ex eo genere sunt haec: 'ne diu moratur quin' (55, 2), quod solum ex Plauti aul. 4, 2, 5 notatum video, neque ego alterum exemplum habeo; nam in b. Al. 7, 1: 'alii morari Caesarem dicerent, quin naves conscendere iuberet' lectio dubia est. 'Plagis sauciare' (52, 4) eiusdem Plauti est. Ex Vergilii et Tibulli consuetudine est (62, 2) 'fovere' (= favere), quod posterioribus temporibus Livio maxime est usurpatum. Nec minus poeticum quoddam spirant ea, quae 56, 1 legimus: 'mixtam dolore voluptatem', quamquam tale Cicero quoque duobus, si recte numeravi, exemplis tuetur. 'Expertus' passivo sensu inveni 61, 1; eodem modo dixerunt Acc. tr. 681: 'multa inventa expertaque ex hoc sunt bona' et Cato r. r. 157, 10: 'expertum hoc est'. 'Si tamen', quod positum est 63, 5, Ovidius et Plinius adhibent; 'dubius animi' (56, 2) Vergilium et Ovidium redolet. Ex gladiatorum lingua deprompta videntur: 'neque ullo timore legis de gradu deiecta est' (54, 3) et 'is latus Cassi tegebat' (52, 2). — Praeterea haec annotanda sunt, quae neque in Caesarem neque in Hirtium cadunt: 'assignare' (50, 2), 'compensare' (48, 2), 'inspicere' = lustrare (56, 5), 'invitare' c. gerund. (63, 3), 'involare' (52, 4), 'ornare' = armare (50, 3), 'redundare' (60, 2), 'impensae' (50, 3), 'requies' (ib.), 'vigilantia' (51, 4), 'fidus' (57, 6), Caesar et Hirtius ponunt 'fidelis'; 'speciosus' (48, 5. 49, 1), 'mutuo' adv. (48, 2), 'ea (qua) mente, ut = hoc consilio, ut (58, 3. 63, 1). Porro a peculiari Hirtii consuetudine haec discedunt: 'obsidio' bis dicitur (61, 2. 5), Hirtius adhibet 'obsessio' (VIII, 14, 1. 34, 1); 'praemia concedere' (48, 5), Hirtius bis: 'praemia tribuere' (VIII, 46, 5. Al. 65, 4); 'signa inferre' (54, 2), 'signa tollere' (57, 1), Hirtius talia mirum in modum nusquam¹⁾; 'illis temporibus' (62, 2), 'iis temporibus' (48, 1), Hirtius aut singularem huius formulae habet (cf. Preuss. lex. p. 202) aut 'sub idem tempus' (26, 1. 28, 1), quod ne hic quidem desideratur (64, 2). Quod legitur 48, 1: 'cum periculo magno, tum etiam maiore periculi fama', haec gradatio ut ab Hirtii dictione abhorret, ita eodem adiectivo (magnus . . . maior) formata hic praeterea invenitur 51, 1

¹⁾ cf. Fröhlich, Realist. u. Stil. p. 44: „Die beliebten Ausdrücke, in welchen statt der Bewegungen der Truppen die entsprechenden Bewegungen der Feldzeichen gesetzt werden“.

et 56, 4. Addo haec: 'aeque' (58, 1), 'certe' (58, 3), 'cum primum' (48, 3), 'difficulter' (48, 2), 'forsitan' (58, 2), 'nihilominus' (50, 2); ex verborum numero: 'disponere in hiberna' (49, 1), contra Hirtius bis 'distribuere' (VIII, 36, 2. 54, 4); 'se insinuare' (52, 2); 'intercidere' (50, 2); 'interpellare' (ib.); 'peccare' (ib.); 'prae se ferre' (58, 3); 'praetermittere' (49, 3); 'profiteri' (55, 3. 59, 2); ex substantivorum numero: 'militia transmarina' (56, 4), 'obsequium' (63, 2), 'offensio' (48, 2), 'simultas' (49, 2); ex adiectivorum numero: 'amplus' (56, 3), 'communis' (58, 4), 'potens' (58, 1). Adiectiva denique a nominibus propriis praecipue legatorum vel ceterorum ducum derivata, quae Caesar in libris maiore cum diligentia et elegantia scriptis (de b. gall. II—VII) fugit et Hirtius omnino non adhibuit, hic occurrunt haec: 'Caesarianus' (59, 1), 'Cassianus' (61, 2), 'Pompeianus' (59, 1).

Mirum in modum auctor capitum 42—47 uberius prae magnitudine talia usurpat: 'Octavianus' (42, 4. 45, 5 bis. 46, 2. 5. 47, 2); 'Vatinianus' (45, 5 bis. 46, 4). Nonnulla sane sunt consuetudinis Hirtianae similia, velut periodus illa nimis longa (cap. 42, 3 et 44, 1); 'non tantum . . . sed etiam' (42, 1) ut a Caesaris et Sallustii usu abhorret, ita apud Hirtium inveni VIII, 6, 2. 41, 6. 52, 5. Al. 32, 4. 67, 1; 'sub idem tempus' (42, 1) Hirtius dicit Al. 26, 1. 28, 1. Sed nullum ex his Hirtii proprium putare possumus. Neque enim illud 'non tantum . . . sed etiam' ab usu aetatis Ciceronianae plane recedit (Cicero ipse id adhibuit; cf. lexic.) et praepositionem 'sub' de tempore usurpaverunt Caesar, qui dicit 'sub noctem', 'sub vesperum', alique. Quae alia Hirtio respondere videntur, levia et casui tribuenda sunt, velut quod legitur verbum 'alere' Al. 42, 1 et VIII, 47, 2, 'decursio' Al. 43, 2 et VIII, 24, 3, 'difficilis' Al. 43, 1 et VIII, 6, 1, 'durissimis tempestatibus' Al. 43, 2 et VIII, 5, 4, etc. Quae nil valere posse apparet, cum ex aliis quoque scriptoribus talia afferre facile sit. Ita, ut exemplo utar, Nipperdeus pg. 24 in oratione belli Hisp. nonnulla invenit belli Afr. similia eaque graviora, tamen nemo ob hanc rem utrumque librum ab uno eodemque auctore scriptum contendit. Itaque quoniam nulla alia causa est, ne illa quidem evincit capita 42—47 Hirtio tribuenda esse, praesertim cum altera ex parte nonnulla sint, quae in Hirtium non ita convenire videantur, velut 'bellum instaurare' (42, 6), contra Hirtius VIII, 1, 1: 'renovare belli consilia'; 'foedera percussisse' (44, 1), quae dictio plane aliena est a consuetudine aetatis Ciceronianae; 'quanto . . . tanto' (46, 4); 'longe superiores' (46, 4), 'longe' cum comparativo est Vergilii, Livii, Velleii, Quintiliani.

Idem dicendum est de capitibus 34—41, quae ita non redolent Hirtium, ut Landgrafius iam confiteatur (l. l. pg. 120): „Dieser Teil des Kommentars war von Hirtius am wenigsten gefördert worden“. Quae verba, praesertim si ea respicio, quae de Hirtii condicione¹⁾ disputavi, sic mutanda esse censeo, ut contendam hanc commentarii partem ab Hirtio minime esse scriptam. Nam permulta ab Hirtii dictione recedunt²⁾, quae Landgrafius uberrime tractavit; quae vero Hirtii esse eidem videntur, perpauca levia sunt nec per se stare possunt. De his idem valet, quod paulo ante de levi illa similitudine dicendi iudicavi.

Quae cum ita sint, Hirtius nullo modo tenendus est auctor capitum 34—64 belli Al.

¹⁾ pg. 23 vers. 7 sqq. — ²⁾ Landgraf. l. l. pg. 120—124, quam ob rem hoc loco mihi addendum est.

Quo modo autem haec amplificatio et commutatio corporis Hirtiani declaranda est? A quo et quo tempore belli Al. capita 34—64 et quae nunc exstant b. Afr. et Hisp. perscripta et corpori addita sunt? Ac primum quaerenti quando id factum sit, hoc pro certo respondendum est, Suetonii iam aetate eandem quae nunc formam et speciem fuisse corporis Caesariani, id quod satis apparet ex verbis eius, quae leguntur in vit. Caes. cap. 56: 'reliquit (Caesar) et rerum suarum commentarios Gallici civilisque belli Pompeiani; nam Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est'. Suetonius igitur sicut de tribus supplementis dicit, Hirtio ea tribuere certis de causis dubitat. Quam ob rem non veridissimile est, nos opus amplificatum debere Pompeio Macro, cui Augustum ordinandas bibliothecas delegavisse idem Suetonius ib. testatur¹⁾. Ille Pompeius aut qui alius fuit pro ea parte commentarii Hirtii, quae erat de b. Afr. quaeque erat maxime inanis exilisque et manca pro vi et gravitate rerum gestarum — nam eae Hirtio non nisi ex sermone Caesaris ex parte erant notae — substituit plenior et uberiorem narrationem hominis cuiusdam militaris, qui ipse rebus in Africa gestis interfuerat easque ad quamvis causam in commentarios diurnos²⁾ rettulerat. A quo vero libellus sit conscriptus, disceptare non possum; nam in Pollionem quamquam permulta³⁾, tamen non omnia⁴⁾ cadunt. Attamen opere illo Pollionis, quo suorum temporum memoriam plenius illustravit, ille quicumque fuit, imprimis adductus videtur, ut Hirtii vile opusculum expungeret et excuteret, nisi tu in iis, quorum auxilio Pompeius in edendo usus est,

¹⁾ Recte Mengius (Neue Philol. Rdsch. 1889 p. 148) Suetonii locum interpretari mihi videtur, dicens: „Fragen wir uns, wer nach Cäsars Tode das größte Interesse daran gehabt habe, daß noch die Gesamtausgabe (sc. der Schriften Cäsars) veranstaltet werde, so kommen wir von selbst auf dessen Adoptivsohn und Erben Oktavianus. Daß O. aber auch tatsächlich das Patronat über die Veröffentlichung von Cäsars Werken und dessen Archiv übernahm, wird ausdrücklich von Sueton bezeugt, der obendrein noch den Gelehrten nennt, der mit der Herausgabe betraut war, nämlich Pompeius Macer. Das betr. Kapitel schließt ab mit den Worten: quos omnes libellos (es handelt sich um die zu Suetons Zeit nur noch dem Namen nach bekannten Jugendschriften Cäsars) vetuit Augustus publicari in epistula, quam ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit. Wenn aber Augustus einem Bibliothekar verbietet, gewisse Schriften aus Cäsars Nachlaß zu veröffentlichen, so geht daraus hervor: Was von der Gesamtausgabe der Cäsarianischen Werke auf uns gekommen ist, das wurde mit Zustimmung des Augustus veröffentlicht.“ — H. Schillerus (Über Entstehung und Echtheit des corp. Caes. Progr. Fürth 1899) etsi Suetonii verba eodem modo interpretari dubitat, tamen confiteri cogitur pg. 8: „Die Möglichkeit einer neuen Ausgabe der Kommentarien ist durch Suetons Worte nicht ausgeschlossen.“

²⁾ Quae in commentario breviori propria videantur, recte exposuit Landgraf. l. l. pg. 27: „Nehmen wir an, daß das Schriftchen von Haus aus das Tagebuch eines den Feldzug mitmachenden Militärs ist, das heute hier, morgen dort zur raschen Aufzeichnung des Vorgefallenen hervorgeholt wird; daß dem Schreiber eines Tagebuchs an und für sich geringe Vorkommnisse des Tages und die daran beteiligten Personen naturgemäß wichtiger erscheinen als dem Historiker, . . . so erklären sich die an dem Buche gerügten Mängel der Darstellung vollkommen. So die mechanische Befolgung der Zeitordnung —, ein Tagebuch entsteht eben mit dem Tag, und jeder Tag hat seine abgeschlossene Geschichte für sich, daher die Setzung des Tages am Anfang oder Schluß des betreffenden Abschnittes und das dadurch verursachte Auseinanderreißen des stofflich Zusammengehörigen, das umständliche Hervorheben und Beschreiben von nebensächlichen Dingen und untergeordneten Personen . . . es erklären sich sprachliche Nachlässigkeiten oder der überhäufte Gebrauch einzelner Wörter.“

³⁾ cf. Landgraf. l. l. et Fleischer, Wch. f. kl. Phil. 1891, 290 sqq.

⁴⁾ cf. Koehler, Bl. f. d. bayr. G.-W. 25, 517 sq.; Schneider, Berl. phil. Wch. 1889, 51 sq.; Menge, Neue philol. Rdsch. 10, 151; Mölken, in com. de b. Afr. quaest. crit., diss. Argentor. 1892, pg. 9—36.

participem belli fuisse putas, qui ut oculis suis res Africanas viderat, ita quam adumbratim Hirtius composuisset, optime intellegere debebat. Ita is aut suum ipsius breviarium aut alicunde petatum corpori Caesariano addidit. Similis est causa belli nostri Hisp. nec tamen eadem. Nam ut una cum b. Afr. a Pompeio sociisque eius in Hirtiani operis locum suffectum videtur, ita non ob eam causam, quod Hirtius, quas singulas res narra-
verat, parum diligenter parumque accurate exposuerat — nam Hirtium rebus interfuisse constat — sed potius, quia nonnulla, quae Hirtio brevitati studenti minime gravia visa erant, consulto intacta erant relictis. Noster enim commentarius maxima rerum etiam minimarum scientia compositus eam habet narrationem, quae nihil praetermittere videatur, cum vel mulierum atque servorum transfugia perscripta sint. Reliqua autem omnia, quae libri sunt propria, nullo modo commendant auctorem. Non dicam de dispositione materiae, quae — sit venia verbo Nipperdei — rudis et omni arte destituta est, non de rusticitate et tenuitate sermonis¹⁾, sed humilis sordidaque compositio et difficile durumque genus scribendi eo latius patet, quod auctor notam doctrinae cuiusdam sibi imprimere cupidissime conatur, cum Ennius ad partes vocat 23, 2: 'hic tum, ut ait Ennius, nostri cessere parumper' vel 31, 7: 'hic, ut ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma', et fabulas commemorat 25, 4: 'hic, ut fertur Achilles Memnonisque congressus . . .'; eodem pertinet quod 8, 2 legitur: 'omnia loca, quae sunt ab oppidis remota, turribus et munitio-
nibus retinentur, sicut in Africa, rudere, non tegulis teguntur'. Quae omnia sunt viri rudis et inculti, qui cum ipse mediocritatem et tarditatem in scribendo satis comprehendat, huiusmodi artificiis varietatem quandam narrationi sibi laudem urbanitatis se parare censeat. Atque quod talis viri opusculum pro parte Hirtiana certe rectae simpli-
cisque dictionis corpori Caesariano adiunctum est, sicut multis scrupulum iniecit, ita non mirum. Nam prae Hirtio omnia similiter atque in b. Afr. uberrime tractaverat auctor²⁾. Quam ob rem cum iuxta uberrimum bellum Afr. interponendum stare non posset Hirtii opus contractum et astrictum, noster liber opulentus — ratione non habita difficilis et hiantis compositionis — in vicem eius sumptus est. Sed quod Hirtius fere ubique brevem et concisam potissimum spectaverat descriptionem, ii qui librum iterum curabant edendum, ne illa quidem expositione rerum Ponticarum (Al. capp. 65—78) contenti erant. Nam priusquam Caesar in Pontum veniret, Domitium Calvinum legatum iam a Pharnace proelio victum esse et notum erat et Hirtius leviter in transitu attigit cap. 65, 3. Quam ob rem has res praecedentes a Calvino gestas tractari necesse arbitrati, unde lacunam explerent, quaerentes, in tabulario publico reppererunt, quae Calvinus ad Caesarem quae-
que Caesar ad senatum de his rebus rettulerat. Nam Caesarem id quotannis fecisse apparet, quas epistolas ipse extremis libris I, IV, VII de b. gall. commemorat, nec dubi-
tandum, quin si legati id, quod in externis terris ipsi gesserant, ad Caesarem imperatorem perscripserant, is relationes eorum Romam miserit. Ita relatio Domitii Calvini inventa

¹⁾ Cf. imprimis: Koehler, de b. Afr. et Hisp. latinitate. Acta sem. philol. Erlang. I, 377 sq.; Degenhart, de auctoris belli Hisp. elocutione et fide historica. Würzburg 1877.

²⁾ Cf. Nicola Vulčić, historische Untersuchungen zum bell. hisp., diss. Monac. 1896, pg. 6: „Das bell. Hisp. ist von einem Teilnehmer an dem Kriege im großen ganzen als Tagebuch geschrieben. Aber... der Verfasser stellt die Ereignisse, welche vor die Ankunft Cäsars fallen, und auch einige spätere, nicht als Augenzeuge dar; die Schrift ist also nicht durchweg Tagebuch. Der Autor hatte keine genügende Bildung, um ein historisches Werk zu schreiben“. Cf. ib. p. 7 et 8.

corpori Hirtiano addita est. Simulque tum etiam aliae illae legatorum relationes de expeditionibus suis detectae in lucem prolatae et — principio atque extremo apte praeparato et commutato, ut contextui sermonis accomodata essent — interpositae sunt: res gestae Cornificii in Illyrico (b. Al. 42—47) et Cassii Longini in Hispania (b. Al. 48—64).

Quibus amplificationibus ex uno commentario modico et brevi Hirtii liber amplissimus effectus est, multo reliquis corporis Caesariani maior. Quam ob rem ab editoribus illis singula additamenta propriis titulis et continuatis numeris significata sunt: XI = b. Al., XII = b. Afr., XIII = b. Hisp., quod habes in codice Ashburnhamiano¹⁾).

¹⁾ cf. pg. 9 adn. 1.

corpori Hirtiano additum est. Simulane tum etiam aliae illae legatorum relationes de expeditionibus suis dispositae sunt. Simulane tum etiam aliae illae legatorum relationes de expeditionibus suis dispositae sunt. Simulane tum etiam aliae illae legatorum relationes de expeditionibus suis dispositae sunt.

Quibus amplissimus effectus editoribus illis singulis XI = b. Al., XII =

¹⁾ cf. pg. 9 ad

incipio atque extremo apte praeparato et commutato gestae Cornificii in I. modico et brevi Hirtii liberiani maior. Quam ob rem abtinuatis numeris significata sunt: in codice Ashburnhamiano').

— Grauskala #13

B.I.G.

M

Y

C

A

1

2

3

4

5

6

M

8

9

10

11

12

13

14

15

B

17

18

19

Druck von W. Pormetter in Berlin.